



DISPUTATIO INAUGURALIS

JURIDICA, 1656

De

INQUISITIONE

CRIMINUM.

Quam

D. T. O. M. A.

DECRETO ET AUTHORITY
MAGNIFICI, NOBILISSIMI, ET AMPLISSIMI
JURISCONSULTORVM ORDINIS, IN ILLVSTRI ET CELE-
BERRIMA HEIDELBERGENSIVM VNIVERSITATE
SVB MODERAMINE

DN. HENRICI DAVIDIS
CHUNONIS,

ICTI. ET IURIUM PROFESSORIS PRIMARI,
ACADEMIÆ PROCANCELLARI, ET FACULTATIS
p.t. DECANI, PRÆCEPTORIS ET PROMOTORIS SVI
PERPETUUM COLENDI

Pro consequendis in utroque jure Honoribus

ac privilegiis Doctoralibus

Publica censura exhibet

IOHANNES A LINE

BREMENSIS.

Ad diem 6. Septembris, loco horisque solitis

HEIDELBERGÆ

Typis ÆGIDII WALTERI ACAD. TYPOG.
-Anno. M. DC. LVI.

6r.

19

Disp. XVI

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,
AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS
ET PRUDENTISSIMIS

VIRIS

DOMINIS

CONSULIBUS ET

SENATORIBUS

LIBERÆ ET IMPERIALIS REIPUBLICÆ

BREMENSIS,

PATRIÆ PATRIBUS VIGILANTISSIMIS,

Dominis Fautoribus, Cognatis & Affinibus

æviternum colendis

*Disputationem hanc Inauguralem
submitte & officiosè dedicat*

Author



T H. I.

Iudicium (definitore Cujacio In
parat. C. de Iudic) est legitima causæ disceptatio,
quæ fit ex parte actoris & rei apud ludicē litis fini
endæ gratia. Estque vel Criminale vel Civile;
Criminale est, quod ex maleficiis oritur *l. 5. §. 1. C. de Jurisd.* hoc que iterum est vel publicum vel privatum. Illud
est, In quo vertitur crimen, quod leges publicorum Iudicio-
rum Vindicant *l. 1. ff. de publ. Iudic.* ex eo appellatum, quod cuius
ex populo executio (i.e. accusatio *l. 11. ff. de accus. l. 1. §. 1. ff. de In-
cend. ruin. naufrag.*) ejus detur. *§. 1. de publ. Iud. l. 43. §. 10. ff. de
rit. nupt* Et cum non tumultuariè, sed secundum Iuris ordinem
procedendum sit, & non minus Reipublicæ Interfit, ut justo
ac debito modo eamus, quàm ut ipsamet maleficia non ma-
neant impunita *l. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil.* ante omnia sciendum, quot
modis in criminalibus progrediamur; Et quidem Dd. in hac
quæstione valdè variant. *Oldendorpius clas. 7. Act. in prefatione*
varios detegendorum criminum modos proponit, ut Accusa-
tionem, exceptionem, delationem seu nuntiationem &c. Alii
tribus modis procedi volunt In criminalibus, per accusatio-
nem, Inquisitionem, & denuntiationem. *Carpzov. pract. crim.
part. 3. quest. 103. n. 17.* dupliciter in criminalibus procedi statuit,
nempè, per viam accusationis, & per Inquisitionem, cujus sen-
tentiam etiam amplector, & de inquisitione, utpote materia
utilissima, & usu fori recepta, præsentem hanc disputationem
quantum temporis ratio permittet, conscribere mihi proposui

A

Est



¹²
T H. II.

Est autem inquisitio nihil aliud, quam legitima Iudicis ex officio procedentis, super delicto informatio.

T H. III.

Estque (omissis aliorum variis divisionibus, de quibus *Carpz. d. part. 3. quest. 107. n. 6. & seqq.*) vel generalis quæ incerto delinquente per Iudicem fit, ad generaliter inquirendum, quodnam delictum perpetratum, & quis illud ipsū commiserit de super generales informationes assumendo. *c. sicut olim 25. de Accusat. l. 13. pr. ff. de off. presid.* Vel specialis, quæ fit per Iudicem contra particularem personam, de cuius delicto iudex notitiam jam habet. *c. qualiter & quando 24. de Accusat. l. 2. §. 5. ff. ad L. Iul. de Adult. Carpz. d. loc. n. 9 & seqq.* Notandum tamen, non semper opus esse generali inquisitione, sed Iudicem quandoq; absque illa, statim ad specialem procedere posse, puta si reus in delicto manifesto, & notorio deprehensus fuerit: idque ob periculum fugæ vel subornationis testium. *Carpz. d. part. 3. quest. 108. n. 68.*

T H. IIII.

Non incommodè autem hic quæri potest; An inquisitio regulariter sit permessa? Et quidem generalem illam inquisitionem jure permissam esse, nullum inter DD. dubium, per textus in *l. 13. pr. ff. de off. pres. & l. 4. §. 2. ff. ad L. Iul. pecul.* De speciali verò inquisitione non æquè inter DD. convenit, nonnullis statuentibus eam plane esse prohibitam; aliis de jure Canon: eandem admittentibus, de jure vero civili negantibus. *Fach l. 1. controu. 34.* aliis eam certis cancellis, & casibus includentibus. Verum verior illorum sententia, qui statuunt, eam omni jure esse permissam; Et quidem multa extant loca in S. scriptura, in quibus passim mandatur Magistratibus gladium à Deo ipsis datum usurpare, & animadvertere in delinquentes. & malos. *Rom. 13. Num. 35. Deut. 17. Num. 15. Ios. 7. 1. Reg. 2.* De Jure Canon. probatur

tur hoc tottit. de Accusat. & inquisit. c. qualiter & quando
 eod: Neque de jure Civili desunt textus & ll, quibus id ipsum sa-
 tis superque evincitur. l. 13. ff. de off. pres, l. 1. §. 12. ff. de off. pres: urb:
 l. 1. C. de custod. reor l. 10. C. de Epise. & Cler. Nov. 128. c. jubemus.
 l. 52. in fin ff. ad. L. Aquil. l. 9. §. §. quid illicitè ff. de public. & Vectig.
 l. 95. §. 1 ff. de solut. Ex quibus textibus satis liquet, hanc inquisi-
 tionem specialem non solum esse permissam, sed etiam juris
 necessitati subjectam, & Iudicibus ex officio incumbere: quin
 & Imp: in d. Nov. 128. c. 21. expressè poenam statuit in iudices,
 qui inquisitionem hanc negligunt, neq; delinquentes legitimis
 coerceant pœnis. *vers. si quis a. Iudicum & c.* Et sanè, quæ utilitas
 redundaret ex inquisitione illa generali, nisi permissum esset
 pervenire ad specialem, idque etiam suadet utilitas Reip: cujus
 cura Magistratui commissa & concredita est. l. 1. l. 3. ff. de off.
 pres. Vigil. Hucque faciunt. l. 70. §. fin. ff. de fidejuss. l. 31. ff. de posit. l. 1.
 C. ad. L. Jul. repetund. l. 28. §. famosos ff. de pœnis. l. 6. C. de defen-
 sor. Civit: l. 2. C. de commer. c. & mercat. c. malos. 23. quest. 5. c. homi-
 cidas, d. 23. quest. 5. Et quin consuetudine hodierna illa permissa
 sit, non sinit dubitare. *Ordinat. Crim: Car. V. art 129. & 214. Fachin.*
1. controuv. 34. Vves: par. ff. de Accus. n. 3. Carpz. d. p. 3. quest. 103. n. 22.
 & multis seqq.

V.

His ita prælibatis, videbimus jam de persona Iudicis
 competentis, quis sc. Iudex hanc inquisitionem formare pos-
 sit. Nam de hoc ante omnia constare debet, cum inquisitio
 facta à iudice incompetente est nulla l. 1. & tot. tit. Cod. si à non
 compet: Iud. l. 1. Cod. ubi de crimin. ag. oport. c. si cōpet diligenti. de for &
 iudex incompetens habetur loco privati, nec iudicium consi-
 stit, & sententia nulla censetur l. 1. §. 1. v. hac verba ff. quod quisque
 juris l. 1. §. f. ff. ad Sct. Tertull. Dicitur autem iudex cōpetens in cri-
 minalibus, vel ratione imperii, vel ratione fori. Imperium est
 duplex, merum & mixtum. Merum imperium est nihil aliud,
 A 2 quam

quàm habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinerosos homines, de quo solo nos hic loquimur; illi enim quibus hoc specialiter vel lege, vel Senatus consulto, vel constitutione principum concessum est *l. 1. §. 1. ff. de offic. ej. cui mand. jurisd. l. 6. ff. de offic. procons.* hanc inquisitionem exercere possunt; quales fuerunt de jure civili præfectus urbi: qui tamen eorum tantum criminum habuit cognitionem, quæ vel Romæ vel intra centum milliaria commissa *l. 1. pr. & §. 4. ff. de offic. præf. urb. l. 7. l. f. C. ad. L. Fab. de plagiar.* Præfectus vigilum, quoad servos fures. *l. pen. ff. de condict. caus. dat. Cuj. In. Expos. Nov. 13.* Præfectus prætorio. *l. 1. §. 1. ff. de offic. præf. prætor.* Præsides scilicet: universarum provinciarum. *l. 6. §. 8. ff. de offic. præsid.* non verò singularum provinciarum. *l. 4. C. de locat. l. 2. C. de offic. rect. provinc.* Proconsules. *l. 6. pr. ff. de offic. procons. Act. 18. vers. 14.*

T H. VI.

Sed hæc quidem de jure civili & solo juris Romani usu obtinebant; hodie autem multum interest inter id quod fuit & id quod nunc est, *l. 98. §. 8. ff. de solut.* & ipsa jurisdictio, magistratumque potestas valde immutata est. nam quamvis olim, ut modò dictum, hæc potestas gladii (uti appellatur *In. l. 3. ff. de jurisdict.*) nemini competebat nisi cui vel speciali lege, vel senatus consulto vel principali constitutione concessa erat *l. 1. §. 1. ff. de officio. ej. cui mand. est jurisd.* ac cum persona extinguebatur: tamen hodierno die Ducibus, Comitibus, aliisque statibus jure feudi vel territorii lege successoria in perpetuum competit & ad hæredes transmittitur *Wesenb. parat. ff. de jurisd. num. 10.* Et quilibet Princeps, quilibet status imperio immediate subjectus tantam habet in suo territorio potestatem, quantam imperator ipse in imperio, secundum *Dd communiter Gail. libr. i. de pac. publ. c. 6. num. 10.* adeò ut hoc ipsum potius ex usu & consuetudine cujusque rei publ. erit metiendum. De divisione
juris

jurisdictionis in altam & bassam ratione fori Saxonici videri
potest *Carpz. d. part. 3 quest. 109. per totum.*

TH. VII.

Competentia iudicis resultat etiam ex foro, quod reus sortitur. Est autem forum competens, ubi quis agere vel conveniri potest. Sortitur reus forum in criminalibus, vel ex loco domicilii, vel delicti commissi, vel ubi deprehensus est. Domiciliū verò est triplex: Respublica, origo, & quod sua cuique voluntas facit. Respublica commune domicilium atq; patriam nobis Romam facit *l. 6. §. Roma ff. de excusat. tut. l. 33. ff. ad munic. l. 17. ff. de stat homin.* quamobrem quilibet Romæ repertus ibidem conveniri potest, quacunq; ex causa illud etiam sit *l. 2. §. 3. l. 24. l. 26. ff. de judi.* origo in ea cuiq; civitate domicilium facit, ex qua pater oriundus vel in qua quis natus est, dummodo pater ibi natus sit aut domicilium habuerit *l. 1. l. 6. §. 1. l. 17. §. 11. ff. ad munic. l. 7. §. 13. ff. de interd. & releg.* Verum hoc casu reum non sorti-
turi forum liquet *ex. l. 19. §. 1. & l. f. ff. de judic. l. 2. C. de jurisdict.* Sua cuiq; voluntas ibi domicilium facit, ubi larem rerumq; ac fortunarum suarum summam constituit, atq; ibi reum forum sorti-
ri dubium non est. *l. 2. C. de jurisdict. l. 1. ff. de interd. & releg. l. 7. §. 20. ff. eod. c. licet de for. competent. l. 203. ff. de V. S.*

TH. VIII.

(2) Ratione delicti commissi reus etiam sortitur forum
l. 1. & Auth. Qua in provincia. C. ubi de crimin. ag. l. 3. ff. de offic. presid. l. 7. §. pen. l. f. ff. de accusat. Nov. 69. Cap. 1. adeò ut nec legatus Romæ delinquens revocare domum, nec clarissimi viri delinquentes fori præscriptione uti possint *l. 25. §. 1. ff. de judic. l. 1. C. ubi Senat. vel. Clariss &* hoc forum in criminalibus est. principa-
lius (3) Ratione deprehensionis seu loci in quo reus depre-
henditur. Nam delinquentes etiam forum sortiuntur, ubi,
reperi.

reperiuntur ac deprehenduntur, ita, ut is, qui merū imperiū habet, in reum, ubicunque repertus fuerit, animadvertere possit, quod non solum intelligendum de eo, qui vagabundus est, sed & de eo, qui certo loco moratur. *l. 1. C. ubi quis de cur. vel cohort. l. 3. pr. l. 13. pr. ff. de offic. presid. l. 3. pr. ff. de remilit. l. 7. §. pen. ff. de accusat.* Attamen de jure civili, si iudex eius loci, ubi crimen commissum est, reum ad se remitti petat, tunc reus remittendus est, remissio enim de juri civili est necessitatis. *Nov. 134. c. 5. Auth. qua in provincia C. ubi de crimin. l. 7. §. pen. ff. de accusat.* Quamvis hodie sit arbitraria & urbanitatis, adeo ut fiat precario & jure amicitiae, sub literis tamen reversalibus, **auffeinen Revers vnd gegen befehdnuß** *Gail. lib. 1. de pac. publ. c. 17. n. 30.*

T H. IX.

Iudex igitur cōpetens tenetur ratione sui officii inquirere in delinquentes, magistratui enim cura reipubl. commissa est, *l. 3. ff. de off. presid.* Et multum interest reipubl. ne delicta maneat impunita. *l. 51. §. 2. ff. Ad. L. Aquil. l. 9. §. 5. ff. de publ. & vectig.* adeo, ut iudex officium suum facere negligens ipsemet in crimen non leve incurrat. *Carpz. d. p. 3. quest. 110. n. 73. & seqq.* Unde etiam Magistratus, qui crimina non vindicaverit, colludere dicitur cum maleficis, vel eorum dicta & facta, tanquam conscius probare. *l. 2. C. de. commer. & mercat.* imò eandem poenam subire debet, quam reus delinquens, si eum dimiserit impunitum. *l. fin. C. ne. sacr. bapt. iter.*

T H. X.

Inquisitio autem de omnibus indistinctè delictis seu criminibus à Magistratu nō est formanda, sed solummodo de criminibus gravioribus, & enormibus, manifestis, scandalosis, & quod tale est, quo Reipubl. tranquillitas offenditur. *Nov. 128. c. Iubemus. 21. l. 13. ff. de off. pres.* non verò super levibus & dissimulandis. Quenam autem dicantur crimina gravia, id melius relinqui-

11
7
linquitur religioni & prudētiae Iudicis. *Menoch. de arbitrar. cas. 266.*
qui ex personarum, causae, loci, temporis, aliisque circumstan-
tiis id ipsum aestimabit §. *atrox. Inst. de. Injur. l. 11. 16. §. 6. ff. de*
pœn. Vel dici potest, delicta illa hic dici graviora, quorum co-
gnitio ei tribuitur, qui jus gladii habet: ut sunt, homicidium,
adulterium, perjurium, &c: id quod etiam patet *ex. d. c. 21. Nov.*
128. & d. l. 13 ff. de off. pras.

TH, XI.

Jam ad inquisitionis requisita. Requiritur autē (1) ut con-
stet de corpore delicti, seu, ut inquisitori certum sit, crimen
commisum ac perpetratum esse. Nam delictum commissum
esse constare debet ante capturam, ante inquisitionem, ante accu-
sationem, *Aegidius Bossius. In tract. crimin. tit. de delict. n. 53.* Et an-
tequam Iudex procedat ad aliquam Investigationem vel in qui-
sitionē debet ei constare de maleficio. *l. 66. §. si tu Titium ff. de fur.*
l. 1. §. Item illud ff. ad sct. silan. Et debemus prius Inquirere de ma-
leficio quā judicare. *c. Deo omnipotens. 2. quest. 1.* Idque constitu-
tum *Ordinat, Crim. Caroli. V. art. 6.* Et hæc adeo vera sunt, ut et-
iam si delinquens crimen confessus sit, aut de eo convictus, attā-
men nisi de corpore delicti constet, nequaquam ulla pœna af-
fligi possit. *per. d. l. 1. §. item illud. ff. ad set Silan. l. si quando. C.*
Vnde. Vi.

TH, XII.

(2.) Fama præcedens. Inquisition. debet fieri tantūm
de his delictis, de quibus præcessit Infamia vel diffamatio pub-
lica. *c. 17. In fin. c. 24. c. Inquisitionis 2. 1. §. 1. de Accusat & Inqui.*
quæ Iudicem de commisso crimine Indagando admoneat;
nemo enim sine accusatore condemnari debet. *l. rescripto. §.*
si quis accusatorem ff. de muner. & honorib. Fama autem præce-
dens sustinet hic vicem accusatoris. *c. licet Heli. de Simonia*
c. qualiter. & quando. c. cum oporteat. ibique. Panormit. de Accusat.
Non

Non sufficit (3) famam illam dundaxat esse sparsam vel audiam, sed debet in frequenti sermone, atque idè in multorum hominum ore versari. *d. c. qualiter & quando. c. cum. oporteat. de Accusat. c. iudicet. 3. quest. 7. c. in cunctis. 11. quest. 3. Damhoud. Enchir. rer. crimin. c. 8. Rubric. de Inquisit.* Et sanè iniquè faceret iudex, si nihil certi exploratum habens, sed solummodò illâ rumusculli plerumque falsi famâ fretus inquisitionem institueret; quapropter ipsi incumbit, ut, antequam eam aggrediatur, se prius de istac fama informet, & exactè cognoscat, cujusnam ex ore prodierit, quâ occasione sit orta, & quæ sunt similia hîc observanda.

T H. XII

(4) Fama illa debet procedere à viris honestis, probis, constantibus, veridicis, fideiq; dignissimis, non ex inimicitia, vel ex invidia, vel alia de causa suspectis, vel criminosis. *d. c. qualiter & quando. d. c. cum oporteat. de accusat. l. 3. ff. de testib. l. f. C. de probat.*
 (5) Ut fama illa probetur per testes deponentes, quòd illam à maiore parte populi, vel publicè audiverint. Quot autem requirantur testes ad diffamationem illam probandam, de eo non satis inter Dd. constat. Non nullorum opinio est famam constare debere ex ore duorum honestorum virorum, quam opinionem refert *Bart. in. l. de minore. 10. §. 3. ff. de quest.* sed tamen ipse improbat. Alii requirunt 21. aut ad minimum 20. testes: alii majorem constituent testium numerum alicujus vicinix, ubi crimen contigisse narratur: alii sufficere putant duos testes non suspectos, quatenus ipsorum testimonia probabili rationi consentiant. *arg. c. In omni. c. licet uni versis. de testib. Matth. 19. Deut. 17.* & famam regulariter probari per duos testes est communis Dd. conclusio. *Clar. lib. 5. sent. §. f. quest. 6. n. 12.* Verùm totum hoc potius fidei & prudentiæ Iudicis relinquendum, juxta *l. 3. ff. de testib. ut. sc.* æstimet an fama satis sit probata vel non: Etsi autem aliàs testibus non Iuratis non adhibetur fides,

9
fides, præsertim in causis criminalibus, attamen hoc in hac in-
quisitione generali tam strictè non observatur, sed summaria
testium depositio sufficit absque juramento: quod in inquisi-
tione speciali non obtinet. *Carpz. d. p. 3. quest. 108. n. 65.*

T H. XIII.

(6) Indicia quoque requiruntur, quæ iustam causam
huic inquisitioni præbent. Nam inquisitio contra aliquem abs-
que indiciis antecedentibus formata nulla est. *d. c. qualiter &
quando. de accusat. l. Justissimus C. de offic. reët. provinc. Menoch. de
arbitr. jud. quest. lib. 1. quest. 78. n. 1.* in tantū, ut hujusmodi inquisi-
tionis nullitas ex defectu indiciorum pro manans, omnia ante
acta post facta pariter infirmet, nullaq; reddat: neque inquisitio
absq; indiciis præcedentibus subsistit, licet ex mandato
Principis fuerit formata. *Prosp. Farinac in prax. crim. lib. 1. tit. 1.
quest. 1. n. 47.* & est regula generalis: quod nemo præsumatur
malus, nisi probetur contrarium. *c. f. de præsumpt.* hucq; facit et-
iam *Constit. Crimin. Caroli. V. artic. 6 in. pr. ibi.* **So Jemandt ei-
ne Ubelthat durch gemein leümlich veruchtiget / oder andere
gläubwürdige anzeigunge verdecktig vndt argwohñig / vñndt
derhalben durch die obrigkeit von amptshalber angenohñen
würde etc:** *Carpz. d. p. 3. quest. 108. n. 44. & seqq.* Quæ verò sint
indicia sufficientia ad specialem inquisitionem, de eo varias
Dd. opiniones refert *Carpzov d. loc. n. 47.* ubi tamen *n. 49.* id to-
tum arbitrio Iudicis committit, qui diligenter consideret, quæ
& qualia ea sint, & an ad onerandum reum sufficientia, qua
de causa iudex cautus esse debet omnesq; præsumptiones &
qualitate tam ipsius criminis, quàm inculatæ personæ, diligen-
ter perpendere, antequam ad specialē inquisitionem descendat.

T H. XV.

(8) Requiritur etiam, ut nullus existat accusator: noto-
rii enim juris est, duos processus criminales simul consistere

B

non

non posse, ex ratione *l. 10. ff. de act. empt. & vend.* tum quia iudicis est abbreviare lites, & reipublicæ interest, lites quàm celerimè dirimi. *c. finem litibus de dol. & contum. c. 1. de restit. spoliator in. o. l. 22. §. f. C. de furt. l. 8. §. 4. C. de curat. furios.* tum, quia inquisitio æquè ac accusatio est remedium ordinarium iure probatum ac confirmatum, atque ita in inquisitione non minùs, quàm in aliis remedijs ordinarijs præventioni locus est, ita ut ea semel inchoata alia remedia impediatur. Hinc quæritur: An superveniente accusatore inquisitionis iudicium suspendi vel omninò cessare debeat? Nonnulli Dd. accusatorem admittunt, si ante litem contestatam superveniat, *arg. l. 74. ff. de iudic. l. 15. §. prescriptione ff. ad. L. Jul. de adult.* alii accusatorem admittunt usq; ad aperturam testium. *arg. l. 8. in. fin. C. de temp. appel.* Communior & receptior est distinctio illa *Saliceti in l. ea quidem C. de Accusat.* quam *Iul. Clar. lib. 5. sent. §. f. quest. 3.* ita breviter complexus est: aut accusator intervenit ante receptas probationes, aut post. Primo casu, aut potest imputari negligentia accusatori, & non cessat inquisitio, sed accusator repellitur, ratio est, quia hoc casu magis colludere cum reo, quàm ex animo accusare voluit. *l. 3. ff. ad L. Iul. de adult.* aut verò non potest imputari, & tunc, si persequitur suam suorumq; injuriam, auditur, & cessat inquisitio; ratio est, quia accusator iste majore dolore accusationem, quàm iudex inquisitionem videtur esse executurus. *arg. l. 2. §. si simul. ff. ad. L. Iul. de adult.* Unde & in specie *l. 4. §. 2. ff. eod.* præfertur maritus extraneo, etiam si institutâ demum actione supervenerit, dum tamen nulla eius negligentia argui possit: nisi ipse accusator esset suspectus de collusionem. Si verò accusator neq; suam neq; suorum persequitur injuriam, non est audiendus: quia, cum hoc casu uterq; ius Reipublicæ exequi conetur, occupantis conditio melior judicari solet; quinimò iudex ut persona publica & aptior, meritò extraneo privato anteponenda videtur. *arg. d. §. si. ff.*

simul & l. si plures. ff. de accusat. Secūdo casu, quādo sc: accusator supervenit post receptas probationes: tum aut delictum est probatum, & repellitur accusator, quia, reis manifesta probatione convictis, ultio differenda non est. *l. 6. ff. de pen. l. 18. C. Eod.* aut non est probatum, & tunc admittitur; ne sc: res inter alios acta aliis præjudicet, & ne delictum maneat impunitum *l. 7. §. 1. ff. de accusat.*

T H. XVI.

Alia adhuc hic moveri potest quæstio: Utrum sc: judex, antequam inquisitionem instituat, teneatur parti offensæ vel ejus hæredibus inferendæ accusationis optionem inferre? Affirmativam multi Dd. tenent, citati à *Carpz. d. p. 3. quæst. 107. n. 36.* qui tamen negativam utpote veriore *d. loc. n. 38.* amplectitur. sc: judicem nequaquam teneri offensum ejusq; agnatos proximiores citare, eosq; rogare an accusationem instituere velint, sed judicem omnibus his non attentis inquisitionem formare posse: quod & in praxi observari testatur *Clar. lib. 5. sent. §. f. quæst. 3. n. 8.* sanè judici liberum erit, offensum ejusque cognatos ad instituendam accusationem hortari, eisque tempus idoneum præstituire: non tamen hoc est necessitatis. *Carpz. cit. loc. n. 38.*

T H. XVII.

(9.) Ut ante omnia satis constet de autore delicti antequam specialem inquisitionem judex formet. Nulla tamen in hac inquisitione habetur ratio personarum, sed tam adversus nobiles, quàm plebejos instituitur; quamvis in hoc differentia est, quòd ad formandam inquisitionem adversus nobiles & honestioris conditionis homines majora requirantur indicia, quàm adversus plebejos. *Prosp. Farin. pract. crimin. lib. 1. tit. 1. quæst. 1. n. 49.*

T H. XVIII.

Quòd si igitur tam de delicti corpore, quàm de perso-

na delinquentis ex argumentis, indiciis, diffamationeque
 præcedenti iudici constat, poterit is, habitâ tamen tam personæ
 delinquentis ratione, quàm admissi criminis qualitate, reum ita
 suspectum in vincula conjicere; cùm contra absentem per in-
 quisitionem specialem non procedatur. *Jur. Clar. lib. 5. sent. §.*
f. quest. 11. n. 1. et absens damnari ne queat. l. 5. pr. ff. de pæn. l. 6. C. de
accusat. tū etiam ne facinerosus admonitus fugiendo elabatur,
atq; ita præsentiam suam subtrahat. Nov. 134. §. si verò & pro-
cessum elusorium reddat, quod fieri minimè debet, arg. l. 75. §.
si prætor. ff. de iudic. l. f. ff. ne quid in loc. publ. Cautè tamen ac pru-
denter iudex agere debet, & omnes delicti qualitates omnesq;
circumstantias probè & accuratè perpendere, ne ad incar-
cerationem nimium festinet, atq; ita in damnum incidat.
 Nam si prætermissa prævia informatione, vel aliqua investi-
 gatione carceri aliquem manciparit injustè, injuriarum act:
 conveniri potest, ad damnum sc. & æstimationem injuriæ l. 37.
 ff. de Injur. l. pen. C. qui bon: ceder. poss. l. si. creditores in fin. ff. de pri-
 vil. credit. Myns. s. Obs. 69. n. 5. quin & utili actione L. Aquil. te-
 netur. l. qui occidit §. in hoc quoq; ff. ad. L. Aql. c. f. de injur.

T H. XIX.

Factâ hac incarceratione iudex quàm primùm ad In-
 quisiiti examen accedere debet, eumq; de criminis commissi
 veritate interrogare, id quod etiam summa necessitas efflagi-
 tat: In criminalibus enim & delictis cognitione causæ maximè
 opus est, nec contra inauditam partem condemnatio facien-
 da l. 14. ff. de pr. req. reis l. 4. C. de sent. & interlocut. omn. jud. l. 6. C. de
 Accusat. l. 6. C. unde Vi. Iohan: 7. xj. si ibi. Numquid lex nostra ju-
 dicat hominem, nisi prius audierit ab ipso & cognoverit, quid
 faciat? neq; pœna ulli irrogari potest, nisi prius de crimine
 vel ex responsione delinquentis, vel ex probationibus certis
 constet, l. 41. ff. de Injur. l. 16. C. de pæn: c. Ecclesia in fin. de Constit.
 Ordinat. crim: Carol. V, art. 46. Et cùm defensio sit Juris natu-
 ralis,

ralis, & reo accusato liberè sua patere debeat defensio. *l. 3. C. qui accus. non poss., l. 22. C. de pæn.* quod certè absq; prævia interrogazione de crimine commisso fieri non potest.

T H. XX.

Interrogatio autem illa Iudicis debet esse (1.) articulata: ut sc: iudex super ipso facto delinquentis formet articulos interrogatorios, ad quos inquisitus vel confitendo, vel negando respondeat: cùm enim idem hoc in processu accusatorio ab actore est observandum, per ea quæ tradit *Speculator in Tit. de position. §. superest. n. 11. & seqq. & Clement. sape. §. & quia positiones de V. S.* ergò etiam in processu inquisitorio hoc observandum à parte iudicis, quia inquisitio in locum accusationis est surrogata *c. qualiter & quando de accusat. & inquisit.* & surrogatum sapit naturam sui surrogati *arg. §. fuerunt. Inst. de action.*

T H. XXI.

(2) Pertinens ; Ut sc. de ipso facto, de quo inquisitus inculpatur, interrogetur, aliena verò facta & impertinentes qualitates omittantur; cùm enim inquisitio specialis pendet ex prævia illa generali, non debet inquisitus in illa interrogari, nisi de eo facto cuius nomine indicia verisimilia in generali illa sunt probata. *Constit crimin Carol. V. art 20. pr.* Hinc articuli inquisitionales continere debent omnes delicti qualitates, ne sc. reo tollatur defensio, nam inquisitio obscura, generalis & incerta minimè valet *l. 3 ff. de accusat.* nec valent articuli si sint formati de eo, quod reusaliquando committere solitus est, sed in specie eò dirigi debent, quòd commiserit hoc vel illud. *AEgid. Boss in tr. de inqs. n. 65. & 76.* Continere etiam debent locum & tempus admissi criminis, puta mensem & annum *arg. l. 3 ff. de Accusat.* adeò ut omissio loci vel temporis vitiet processum, etiam parte non opponente. *Clar. lib. 5. sent. §. fin. quest.*

quest. 12. n. 9. Gail. lib. 1. obs. 64. n. 9. Non tamen diem & horam criminis commissi apponereneccesse est. *d. l. 3. vers. neq.* nisi reus diem consignari petat, ut negativam loco & tempore coarctatam probare possit, se sc. eo tempore alibi fuisse, facit. *l. 14. in fin. C. de contrab. stipul. Wesenb. paratit. ff. de accusat. n. 13. Constit. Carol. crim. art. 47.*

T H. XXII.

(3.) Clara, aperta, & rotunda, & singulo articulo non nisi unum interrogatorium inserendum est, nam inquisitio omnis ita formanda est, ut non tantum inquisito non auferantur defensiones, verum etiam faciliores reddantur, reusq; sese eò melius in Iudicio tueri queat. *Carpz. d. p. 3. quest. 113. n. 32 & seqq.* Non prohibetur tamen iudex unum idemq; interrogatorium aliis verbis repetere, modò id non fiat captiosè: sicut & ad eruendam veritatem simulationibus & fictionibus uti potest, fingendo se facere id, quod revera non intendit *arg. c. afferte. de presumpt.* modò non sint violentæ aut captatorix. *Prosp. Farinac. part. 3. prax. crimin. quest. 81. n. 313.*

T H. XXIII.

(4) Articuli quoq; Inquisitorii debent proponi, eorumq; responsio desuper à reo exigì: interrogatio tamen & responsio fieri debent coram iudice competente & in iudicio *l. un. C. de confess.* quia confessio extra judicialis nihil facit contra confitentem, nec ad condemnandum sufficit. *Damboud. parat. crimin. c. 54. n. 37.* Non requiritur autem, ut responsio sit jurata, sed sufficit nuda ac simplex: nam si præstatur hoc iuramentum, inquisiti crimen negantes, à pæna & inquisitione profus liberantur: *Carpz. d. p. 3. quest. 113. n. 42.*

T H. XXIIII.

Propositâ tali interrogatione inquisitus ad singula interrogata respondere debet vel affirmativè vel negativè, & quidem

quidem distinctè ac clarè, aliàs, si dubiè vel obscure respondeat, iterum interrogandus, donec categoricam responsionem det, quò Iudex de crimine certus fieri possit, cum paria sint non respondere, vel obscure respondere. *l. 11. § 7. ff. de Interrog. in ju. refaciend.* quinimò hoc casu *Iul. Clar. lib. 5. sent. §. f. quest. 45 n. 6.* inquisitum torturæ subjiciendum putat, non quidem ad veritatem eruendā, sed ad extorquendā responsionem, adeò ut nullo alio indicio opus sit *Dan. Moller. s. Semestr. 25.* quod tamen solummodò in gravioribus delictis *Carpz. d. loc. n. 59. cum Dd. ibidem allegatis.* admittit. Fieri autem debet responsio ab ipso inquisito, non verò per procuratorem, regulariter enim procurator in publicis judiciis intervenire non potest. *l. 15. l. pen. C. de accusat.* neq; responsio in scriptis facta hic admittitur, prout ita pronuntiatum testatur *Carpz. d. loc. n. 64. & 65.*

T H. XXV.

Quòd si habitâ interrogatione judicis reus aut nihil, aut obscure respondet, ita ut judici constare non possit, num reus crimen confessus sit, tum statim non est absolvendus sed iudicis erit, probationibus, si quas habere potest, ipsum constringere, cum paria sint, convictum quem esse, aut confessum. *l. 16. C. de pen. l. f. C. de custod. reor. c. primates 2. quest. 7.* Non tamen qualiscunq; probatio hîc sufficit, sed plena & legitima requiritur, sicut in aliis criminalibus, vel evidentia facti. *c. evidentia. de accusat. l. 7. C. Eod.* vel duo testes omni exceptione majores *c. testes. 3. quest. 9. c. cum in nobis. c. cum in omni. de testib.* nam graviora argumenta & indicia, quàm in civilibus, hîc requiruntur, *l. 14. C. de accusat. l. f. C. de probat.*

T H. XXVI.

Ut autem rectè in materia probationum hoc in passu procedatur, necesse est, crimen certis articulis includi cum omnibus circumstantiis & qualitatibus, super quibus testes in-

terro

terrogentur, magna enim cum diligentia & observantia testes sunt examinandi. *Auth. apud eloquentissimum. C. de fid. Instrument.* Non tamen opus est, ut iterum novi formentur articuli, sed testes super iisdem articulis inquisito jam antea propositis exanimari possunt; nisi sunt examinandi de factis peculiaribus, quorum notitiam inquisitus neq; habet, neq; habere debet aut potest, tunc enim novi forniandi sunt articuli. *Carpz. d. p. 3. quest. 114. n. 8. 9. 11.* Notanda autem hinc est differentia inter accusationem & inquisitionem: in illa enim si accusator semel testes produxit, & publicatae sunt attestaciones, novi testes & probationes recipi non possunt. *Gail. lib. 1. de. pac. publ. c. 18. n. 10. & seqq.* in inquisitione verò iudex testibus semel examinatis alios ad huc testes recipere, aliosq; articulos formare potest. *l. 18. §. 1 ff. de question.* quod & in foro receptum esse testatur. *Carpz. d. loc. n. 14. & seq.*

T H. XXVII.

In testibus considerata venit ipsorum qualitas, quæ consistit in duobus, sc: quinam testes esse possunt, & ut sint sufficientes. Testes esse possunt omnes, qui non prohibentur *l. 1. pr. ff. de testib.* nam cuncta licita dicuntur, nisi à lege aut decreto prohibeantur. *l. nunquam eis. ff. Ex quibus caus. maj. c. ad dissolvendum. 13. de desponsat. Impuber.* Huc facit etiam *Constit. Crimin. Caroli. V. art. 66. Genugesamme zeugen sein die/ die Unbeleümt vnde sonsten mit keiner rechtmässiger ursach zuverweisen seind.* Et quilibet in dubio præsumitur idoneus & legitimus, nec qualitas idoneitatis per producentem articulanda, aut probanda est *Socin. Iun. 2. Consil. 29. n. 26.* Quinam a, testes esse prohibentur, & sunt Intestabiles, & quibus casibus admitti possunt videre licet apud *Wesenb. Parat ff. de Testib. & Carpz. d. p. 3. quest. 114. n. 28. & multis seqq.*

T H. XXVIII.

Requiritur etiam sufficientia testium, sufficiunt autem ad indu-

endum probationem perfectam ad minimum duo testes. *Tabi*
num. 9. 12. ff. de Testib. c. si testes. §. ubi numerus 4. quest. 3. c. licet 23. c.
cum iob 3. 28. de testib. P. osp. Farinac. lib. 2. opin. crimin. tit. 6. quest.
63. n. 333. nec unicus testis plenè probat etiamsi Princeps as-
ferit se vidisse delictum perpetrari Matth. Stephan. In not. ad Or-
din. crimin. art. 22. quod etiam concordat cum Sacris literis
Deut. 19. v. 15. Matth. 18. 1. Corinth. 13. & cum J. Canon. c. licet uni-
vers. c. veniens. c. licet ex quadam de Testib. c. admonere 33. quest. 2. Et
disertè cautum Ordin. Crimin. Caroli V. art. 67. Carpz. d. l. n. 48. &
seq. ubi, n. 52. & seqq. adducit nonnullas limitationes.

T H XIX.

Testium depositio & attestatio debet esse clara, *c. 37. de test. cate-*
gorica & concludens; non obscura, dubia, & incerta, utpote per
verba, fortè, puto, videtur & c. quæ nihil probant. Prosp. Fari-
nac. de Testib. tit. 6. quest. 68. n. 25. & seqq. nec debet esse de credu-
litate, c. 5. de test. nã necesse est, ut de veritate facti per sensum corpo-
reum deponant. l. 20. ff. de Testam. l. sola. l. testium C. de Testib. nec
de auditu alieno. c. licet ex quadam pr. de Testib. Prosp. Farin. d.
loc. quest. 69. n. 2. & seqq. id quod expressè etiam sancitum. Ordin.
Crim. Caroli V. art. 65. Nec sola testiũ depositio sufficit, sed oportet
quoq; testem dicti sui rationem allegare adeò, ut si eam non
reddat, ne præsumptionem quidem ullam faciat. l. sola ubi Dd.
C. de Testib. & si non sint de ea interrogati, in his, quæ sensu-
bus sint exposita, fidem quidem merentur, in illis verò, quæ tan-
tum intellectu comprehenduntur, nequaquam Dd. in. d. l. sola

T H XXX.

Juratam quoque esse oportet hanc depositionem, testi
 enim, non nisi jurato, non habetur fides *l. testium. C. de Testib.*
Gail. l. O. 101. n. 1. neq; hoc iuramentum in criminalibus à parti-
bus remitti potest. Prosp. Farin. d. loc. quest. 74. n. 85. hocque ve-
 rum in inquisitione speciali, non vero in generali illa de qua

C

ante

ante dictū th 13. Et hæc depositio repetenda est præsentē inquisito, præsertim, cum eorum depositio contraria est dicto & confessioni rei in examine factæ, quamvis Dd. statuunt, hoc non esse de substantia processus inquisitorii. *Zang de quest. & tortur. c. 2. n. 50. Carpz. d. p. 3. quest. 114. n. 75.*

T H. XXXI.

Auditis itaq; testibus & termino probatorio elapso attestationes reo publicari, copiamq; probationum & depositionum communicari debent, ut possit exceptiones suas non tantum contra dicta, sed etiam contra personas testium proferre. *c. qualiter & quando §. debet igitur de accusat. & in quib. f. §. cessante de heretic. Jul. Clar. lib. 5. sent. §. f. quest. 49. n. 2.* adco, ut si reo hoc denegetur, processus sit nullus, idq; tanto magis, cum defensio nemini, ne à Principe quidem, auferri possit. *Clem. pastoralis. de sentent. & re iudic. l. 3. §. 7 ff. de rem. l. 7. C. de iur. fisc. & Dd. tradunt, iudicem æquum & prudentem etiam non petenti reo ex officio indiciorum copiam communicare debere, Jul. Clar. 5. sent. §. f. quest. 49. n. 4.* imò etiam, reo se non defendente, innocentiam eius Index pervestigare tenetur. *l. 19 ff. de pæn. Constitut. Carol. Crim. art. 47. 184.*

T H. XXXII.

Defensio hæc & innocentia deductio non solummodo ab ipsomet inquisito, verum etiam ab ipsis parentibus, fratribus & consanguineis proponi potest. Quia enim pater admitti possit non solum facit commiseratio *l. 7. ff. de bon. damnat.* sed etiam communis illa cognatio, quam natura inter homines constituit. *l. ut vim. ff. de Justit. & Jur. quæ certè strictior est inter patrē & filium, quàm in ullo alio, cum filius censeatur pars corporis patris sui l. 22. C. de agric. & cens. & cur patri denegaretur, quod domino permissum, qui defensor potest & debet dari servo suo. l. 19. ff. de pæn. l. 2. C. de accusat.*

Fratres

T H. XXXIII.

Fratres quoque, cæterosque inquisiti consanguineos ad deducendam ipsius innocentiam admittendos esse, suadet ratio, quia publicè interest innocentium causas defendi. *l. 33. §. publicè ff. de procurat.* quanto magis ergò cognatis, aliisque conjunctis personis hoc permittendum, ut quas liti alterius nomine se offerre posse constat. *l. 1. §. ff. de postul. l. 35. ff. de procurat.* idque etiam cautum legitur in *Ordinat. Crimin. Caroli. V. art. 47.* Imò iudex ipse ex officio defensiones reo quærere, easque supplere tenetur reo etiam hoc non petente. *d. l. 10. ff. de pen. Auth. Qui semel C. quom. & quand. iud. Wesparat. de accusat. n. 12.*

T H. XXXIV.

Competit hæc defensio reo, durante inquisitionis processu, etiam post testium depositionem & torturam peractam, quia probatio in criminalibus ad probandam rei innocentiam etiam post sententiam & rem iudicatam admitti debet; & audiendus est inquisitus etiam si ad articulos inquisitionales nondum responderit, si v. g. excipiat inquisitionem adversus ipsum locum non habere, ne sc: exceptionum declinatoriarum oppositio ipsi denegetur, quâ aliàs quilibet accusatus gaudet. *l. 19. C. de probat. l. f. C. de except. Carpz. d. p. 3. quest. 115. n. 21. & seqq.* Excipitur casus, si sc: inquisitus opponat innocentiam & exceptionem, quò à pœna ordinaria liberetur, cùm responsio sit instar litis contestationis. *l. un. C. de lit. contest. c. super questionem. de offic. & potest. iudic. delegat.* postquam exceptiones peremptoriæ non admittuntur. *l. 8. l. 12. C. de except. iul. Clar. lib. 5. sent. §. f. quest. 49. n. 11. Carpz. d. loc. n. 55. & seqq.*

T H. XXXV.

Nec denegatur inquisito probatio innocentie, etiam si crimen antea confessus est, cùm multa deducere possit, quæ ipsum liberant à pœna ordinaria, ut si alleget incompetentiam

judicis, qualitatem confessionis, utputa quòd sit extorta promissione impunitatis, quod fieri non debet, ne sc: reus crimen confessus pœnam effugiat, cùm turpe sit fidem fallere. *Prosp. Farinac. prax. crimin. quest. 81. n. 277.* Vel minorennitatem &c: hoc enim casu meritò audiendus, ne innocens ad pœnam trahatur *Iul. Clar. s. sent. § f. quest. 55* *Carpz. cit. loc. n. 30 & seqq.* Imò potest confessionem sponte factam revocare, & probare illam fuisse erroneam. *Iul. Clar. d. quest. 55 n. 18.* Sed etsi semel admisus fuerit ad probandam innocentiam, & nihil probaverit, nihilominus tamen denuò admittendus est, ut si novam qualitatem defensionis alleget, aliosvè testes producat, reum enim pluribus defensionibus non solùm diversis, sed etiam contrariis uti posse, tradit *Nicol. Reusner. lib. 3. Consil. 4. n. 7. per. l. 25 pr. ff. de probat. l. 5. & l. 8. ff. de Except. l. 9. C. Eod.*

T H. XXXVI.

Ad probandam Innocentiam in genere sufficiunt argumenta, quibus probatio delicti vel ex persona, vel ex depositione testium infringitur, aut contrarium contrariis probationibus demonstratur, aut si ejusmodi exceptiones producantur quæ reum vel ab omni supplicio liberant, vel a pœna ordinaria eximunt, puta, furor, nimia ebrietas, ignorantia &c: de quibus tractat *Carpz. d. p. 3. quest. n. 115 41. & multis seqq.* Et singulariter in favorem defensionis, unicus testis & semiplena probatio (ut Dd. vulgò loquuntur) hic sufficit, cùm aliàs unicus non audiatur, ne Imperator quidem aut Pontifex Maximus, uniusque vox, quantuscunq; ille sit, quasi nullius sit, *l. 9. §. 1. C. de testib. Prosp. Farin. de testib. tit. 6. quest. 03. n. 42.* neque necessariò requiritur, ut testis sit juratus, si propter absentiam ejus forte depositio jurata haberi nequeat, prout ita pronunciatum refert, *Carpz. d. p. 3. quest. 115. n. 74. & seqq:* etiam testis de credulitate deponens hic admittitur, si modò ejus causam dicat. *Prosp.*

Farina 9

Farinac. d. loc. tit. 7 quest. 68. n. 177. & 78. tum etiam Inquisiti pater, mater, fratres, aliique consanguinei admittuntur, maxime si alii testes haberi non possunt, & alias regulariter, neque testis domesticus, l. 3. C. de testib. neque pro domestico, l. pen. ff. eod. admittatur. *Iul. Clar. s. sent. §. fin. quest. 24.* Imò & conjecturis & præsumptionibus hic locus, ut si reus forte non auferit, cum potuerit, vel spontè se præsentet iudici &c. de quibus *Menoch. lib. 5. præsumpt. 48. n. 10. & seq.*

T H. XXXVII.

Quin & Advocatus ad deductionem Innocentiæ admittitur: quamvis enim procurator non admittatur in criminalibus, ut qui nec Dominus litis est, nec in eum sententia capitalis ferri potest, l. 22 c. l. seq. C. de procurat. l. 1. C. de sent. & inter. omn. jud. advocatum tamen admitti posse non dubitatur, qui se reum in iudicio præsentem defendat, & consilio suo iuvet. *Iul. Clar. s. sentent. §. fin. quest. 32. n. 16.* idque etiam cautum. *Ordin. Crimin. Carol. V. art. 88. in pr. ibi. Klägeren undt Antwortern soll iedem theill auf sein begehren ein fürsprecher auß dem gericht erlaubt werden.* *re. Carpz. d. quest. 115. n. 88. & seqq.* Tempus autem, intra quod Inquisitum defensionem suam ac probationem docere oportet, certum ac definitum non est, sed illud relinquitur iudicis arbitrio. *arg. l. 1. §. 2 ff. de testib. Carpz. d. loc. n. 85. 86.*

T H. XXXVIII.

Processu hac ratione instituto, omnibusque quæ tum ad crimen indagandum, tum ad rei defensionem audiendam necessaria fuerint, susceptis, poterit iudex, si deprehenderit plenè probatum, nullam verò rei idoneam excusationem demonstratam, pœnam ordinariam & iure constitutam reo infligere, nihil enim interest, in supplicio de reo sumendo, quocumque modo crimen eius denudetur & patefiet. Semper enim

reipubl. interest, malefacta non manere impunita & exemplo
 alios à similibus perpetrandis terreri, justasvè ac debitas Rei-
 publ poenas persolvi, idq; satis probatur ex *l. 2. ib. ad versus nocen-
 tem reum Inquisitione facta poena competens ingeratur. C. de abolit.
 & aperte in l. 4. C. de sepulchr viol.* Ubi sive crimen sepulchri
 violati per delationem privati: vel accusationem alterius, sive
 per nunciationem, sive per inquisitionem ex officio factam,
 fuerit revelatum, semper poena legitima & statuta inferenda
 dicitur, *Constitut. Carol. criminal. art. 69.*

T H. XXXIX.

Quod si verò Iudex in aliquem nulla præcedente fama
vel ob aniles muliercularum rumores, obq; indicia planè levia
 inquisitionem formaverit, atque ita injuriosè quid fecerit, In-
 juriarum actione & aliis, itemq; ad expensas, tenetur. *l. 32. ff.
 de Injur. l. 1. 4. ff. ad L. Cornel. de sicar. tot. tit. ff. ad L. Iul. repetund. l.
 29. §. 7. ff. ad L. Aquil. l. 12. ff. de pericul. & commod. rei Vendit.* ideoq;
 valdè circumspectus hoc casu. debet esse iudex, ne alioquin in
 suspicionem temeritatis, & calumniæ incidat. *arg. l. 1. ff. ad L.
 Cornel. de sicar. c. qualiter & quando de Accusat.* Inquisitus verò
 injuriam sibi à Magistratu sive Iudice illa tam esse dicens, illud
 probare tenetur: quoniam pro iudice & magistratu militat
 præsumptio, quòd justâ ratione motus & neutiquam injuria-
 rum causa fecerit ea, quæ fecit. *l. 2. C. de offic. Civil. judic. l. 13. §. 1.
 ff. de injur. c. sicut nobis. 10. in fin. de sent. & rejudic.* Cæterum si Iu-
 dex sufficiente famâ præcedente inquisitionem instituerit, ex-
 cusabitur, etiamsi reus convictus non fuerit *arg. l. 27. ff. locat.
 l. 49. ff. ad L. Aquil.* Hisce itaq; plura ad hanc materiam facien-
 tia supersedere certis de causis, coactus, finio, uberioremq; ejus
 tractationem saniori alterius cujuscpiam iudicio relinquo.

Soli Deo Gloria.

1077

ULB Halle

3

003 252 035



Sb.







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

INAUGURALIS

A, 1656

6r.

19

TIONE

IM.

Impressum

L. A.

ATHORITATE
I, ET AMPLISSIMI
IN ILLVSTRI ET CELE-
VM VNIVERSITATE
MINE

DAVIDIS
NIS,

SSORIS PRIMARI,
II, ET FACULTATIS
T PROMOTORIS SVI
LENDI

jure Honoribus

ralibus

hibet

LINE

s.

horisque solitis

RGÆ

ACAD. TYPOG.
LVI.

H. Secret

